



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 15. Sacræ Facultatis comitia hanc in rem habita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII „subsequentis remittere, nos vero om-
A.C. 1729. „nes in pace recedamus.,,

§. XV.

*Sacrae Facultatis comitia hanc in
rem habita.*

Percepta Synodi postulatione Facul-
tatis Decanus, ex communi om-
nium assensu comitia ad diem octavam
Novembris prorogavit: Præstituta au-
tem die denuo Syndicus ad congrega-
tos ita effatus est:

*Venerabilis Domine Decane, Patres
& Magistri spedatissimi.*

„Perlecta in nuperis comitiis epi-
„stola Regia quam audivisti, potuif-
„sem pro officio, quo fungor, statim
„postulare, ut quicumque præsentes
„aderant, quibus, vetante Rege, lici-
„tum amplius non erat remanere, ab
„Aula discederent, & quæ habebam
„proponenda, vestræ, ut moris est, de-
„liberationi subjecere; non vero petere ut
„dirimerentur, sicuti factum est, ge-
„neralia Comitia ad res sacræ Facul-
„tatis peragendas rite & stata die con-
„gregata. „

„Verum, dicam ingenue, inurba-
„num fuisset admodum novam hanc
„affli-

„afflictis molestiam addere, nec nisi sæc. XVIII,
„reluctante animo id præstitissem, si A.C. 1729.
„coegisset (durum telum) necessitas.
„Parcendum ergo satius duxi eorum
„nominibus, quæ appellari palam po-
„tuissent, atque, non sine aliquo sola-
„tio, vidi totum hocce negotium abs-
„que ullo strepitu peragi, sed pacifice
„ac tranquille; quodque susceperam
„apud me consilium, vobis etiam ta-
„centibus communi suffragio compro-
„bari; nec ipsi certe, quos iussa Re-
„gia a nostris arcent Comitiis, pro sua
„æquitate, diffitebuntur (ut arbitror)
„nullam inveniri potuisse agendi ra-
„tionem, quæ his in circumstantiis,
„minus ipsis displiceret. ..

„Curavi, sicuti officium meum po-
„stulabat, quantum per breve tempo-
„ris intervallum licuit, scripta brevi
„epistola, eos moneri, qui specialiori
„ratione erant admonendi; & si forte
„omissi sint aliqui, monebuntur; quam-
„quam Regia voluntas omnibus ab-
„unde satis innotescat, adeo ut non
„putem præsentibus Comitiis interesse
„quemquam ex iis, qui juxta Regis
„epistolam privantur jure suffragii. ..

„Lugenda sane, Patres sapientissimi
„fors horumce Magistrorum, qui a nobis
„avelluntur, & eorum simul, variis
„temporibus nobis uileti sunt.

D 2

Sed

Sæc. XVIII. „Sed lugenda non minus sacri Ordinis
A. C. 1729. „nostri conditio, nisi quam primum
„etiam apud nos cessent funestæ illæ
„contentiones, quæ Ehen! nimias a
„tot annis in Religione & Regno turbas
„concitarunt; & quarum occasione tot
„mala, tot tempestates in Ordinem
„nostrum, non sine maximo dedecore
„identidein detonarunt.“

„Sinite ut loquar candide: Si nos
„tangit noster honos, restituendæque
„nominis nostri famæ studium: (scitis
„enim ut audit jam apud Catholicas
„gentes nostræ Facultatis Parisiensis
„nomen, verendum profecto nomen,
„ipsis olim gratissimum, solis invisum
„fidei Catholicæ hostibus), si nos, in
„quam, incitat stimulus potentior, fer-
„vandæ in regno Religionis amor, tem-
„pus est, certe tempus est, ut bono
„animo omnes quæramus pacem, eam
„que ineundæ pacis amplectamur viam,
„sine qua erunt quidem inter nos multi,
„ut verbis Prophetæ utar, dicentes:
„Pax, pax & tamen non erit pax, quia
„his in circumstantiis sumus positi, ut
„nulla vera pax esse possit, nisi quæ in
„obsequio Ecclesiæ debito posita est.“

„Hoc intellexit diu, antequam e
„vivis excederet, Eminentissimus bona
„memoriæ Cardinalis Noaillius, at-
„que corde læto & animo volenti, suo
„exem

„exemplo, ut vidimus anno præterito, Sæc. XVIII.

„non sine ingenti bonorum omnium A.C. 1729.

„solatio & lætitiae sensu confirmavit.,,

„Illud idem ultro præstítit suam erga

„defunctum Præfulem reverentiam ex-

„hibens Parisinæ Ecclesiæ Capitulum:

„Hoc præstiterunt & præstant adhuc

„singulis diebus non privati duntaxat

„apertis professionibus, sed magnæ Sa-

„cerdotum Religiosorumque Societa-

„tes; ex quo præsertim Archipräfulis

„nostri, cui pro Ecclesiæ bono longos

„annos satis apprecari non possumus,

„in lucem prodit Mandatum illud vere

„aureum, quod emisit nuper, in quo

„reperitur potens adhortatio cum

„suavi eloquio ad invitandum; doctis

„& indoctis accommodata eruditio ad

„suadendum; ubique paterna comitas

„& simul auctoritas vere Pastoraliſ ad

„adducendos animos ad obsequium.,,

„Decetne, Patres Sapientissimi,

„nostram Facultatem, quæ cæterarum

„Societatum hac in Urbe, & Academia-

rum in Regno, debuisseſt esse ea in re,

„ut in cæteris, exemplum & norma,

„ulterius servare silentium; atque suo

„silentio fieri quasi in petram offensio-

„nis & scandali: Præstemus tandem

„aliquando meliora, memores condi-

„tionis nostræ, nec quemquam e no-

„stris, qui hic adsunt, præposterus re-

Sæc. XVIII. „tardet pudor; sed uno ducti spiritu,
 A. C. 1729. „cura nostra eadem sit, ostendere pa-
 lam, sacri Ordinis Parisiensis Ma-
 gistrorum, viros esse sincerissimæ aman-
 tissimos pacis.„

„Cæterum ut omnia rite & pro-
 honore sacræ Facultatis fiant, existi-
 marem, si ita vobis videretur, non
 esse expectandum ulterius; sed vel
 hac ipsa die saltem nominari posse De-
 putatos, qui inter se bona fide videant,
 qua ratione, quibus mediis, nego-
 tiūm istud fieri quam primum possit;
 ut quo citius (satis autem cito, si
 bene & recte) eo plus accedat læti-
 tiæ & gaudii iis omnibus, qui, fusis
 ad bonorum omnium Auctorem
 Deum precibus, jamdudum rogant,
 quæ sunt ad pacem Jerusalem. Redi-
 dita autem hac pace, redibit pristi-
 nus Ordinis nostri splendor; vigebit
 in melius Scholarum nostrarum di-
 ciplina, quæ non recte servabitur,
 quidquid tentare valuerimus, quam-
 diu inter Magistros non erit animo-
 rum tranquillitas & concordia; redi-
 bunt etiam ad nos, ut spero, his
 omnibus rite compositis, qui e finu-
 nostro erepti sunt; & in omnibus
 benedicetur, & glorificabitur Deus,
 qui teste Apostolo, non dissensionis
 Deus est, sed pacis.„

¶ Po-

„Postulo igitur I. ut nominentur Sæc. XVIII.
„Deputati, qui expendant, qua ratio- A.C. 1729.
„ne, quibusve mediis, totum istud
„gravissimum negotium tandem ali-
„quando finiri possit. „

„Postulo insuper II. ut inscribatur
„in Commentariis sacræ Facultatis
„Epistola Regia die quarta hujus Men-
„sis plenis in Comitiis lecta. „

§. XVI.

Quorundam Doctorum oppositio.

Coavenerant rursus Doctores die pri-
ma Decembris, eisque, quæ in ul-
timis comitiis conclusa fuissent, relectis,
circa Deputatos a Facultate nominan-
dos declararunt, per decretum Anno
1714. a S. Facultate die 5. & 10. Martii
latum, jam tunc in comitiis Constitu-
tionem *Unigenitus* fuisse receptam, De-
putatos autem Tournelyum, Calme-
lum, le Moyne, Favartium, Targ-
nyum, Drouynum, Bouquetum, Vi-
rotum, Nicolasiūm, Barrinum, Val-
lesium, & le Jeune esse nominandos,
qui expenderent, non quidem, utrum
a Facultate sit recepta hæc Constitutio,
quam utique S. Facultas a se receptam
fuisse profitetur, & si opus foret, etiam-
num a se acceptari declararet, sed dun-
taxat, ut ponderent, qua facilitiori via

D 4 reduci